

COROLL. CAP. I. QVÆST. I.

*æquè splendidus nomen Rivalis injusti meruit? &c.* Quasi verò qui parem contemnit, eo ipso non concedat alteri jus exercendi talionem? Et quasi apud omnes Politicos receptum axioma non sit: *Princeps ne patiatur contemni aliorum Majestatem.* Cæterùm si Orator natus fuisset in Hispania, iisdem, credo, verbis, ad illum Regem uteretur. Exemplo Cotonis Jesuitæ, qui cum A. 1626. Parisiis in gratiam Regis destrueret, autoritatem Pontificis in Monarchas, rogatus, quid statueret, si esset Romæ? *mutaretur, inquit, cum cælo animus, sentiremus ut Romæ.* Gramond. lib. 15. p. 677.

§. VI. Gravissimum est, quod divinam Majestatem Regi subjicit. Initio enim Fortunam, quæ Regum prærogativam simul statueret, Christiano, ut ipse fatetur, stylo, vocat *particularem Providentiam Dei super Principum personas, Imperia & actiones.* Sed hujus dicti parum memor, in media Oratione, gemmulam istam interferit: *Un Ancien a dit, que le Sage estoit l' Artisan de sa fortune & j'oserois dire, que V. M. est l'ouvrier de ces prosperitez quasi incroyables, qui la suivent par tout, qu'elle tient la victoire enchainée par la grandeur de son Courage, & qu'elle rend la fortune esclave de sa Gloire &c.* Ergo Providentia DEi vile mancipium est Gloriæ Gallicæ.

II. An Regnum Galliæ hodie sit felicissimum?

§. I. Orator deprædicat *Ecclesiasticos in functione eruditos & pios; Nobiles à falsis honorum ideis sanatos, Judicia à prolixis processuum tricis expedita, Leges tandem noviter instauratas:* Quæ omnia si cum veritate consentiunt, gratulamur Gallis seculum aureum, si ve sperantur adhuc potius, quam possidentur, optamus istis, quicquid à Christiano Christianis optari par est. Sed duo sunt, ad quæ legentis oculi non potest non consistere.